



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IV. Huc allusit Tertullianus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

cem aliquam illi scenerari conabor : quam, ut major sit, in contractum velut orbem cogam.

II. Ecclesias ad exemplum Romani Imperij per provincias ab Apostolis ita tributas fuisse, ut inter fratres, ejus Episcopi prima sententia haberetur cui metropolitanae urbis Episcopatus conceditus fuisset, absque ullo negotio probari potest. Inde est quod epistola Petri canonica, Christianos, ad quos est data, provinciarum Romanarum limitibus circumscribat, *Ponti, Galatia, Cappadocia, & Asia*. Quae ratio provinciarum in ecclesiastica dispositione semper viguit, adeo ut Nicomedia Bithyniae, Caesarea Cappadociae, Amasea Ponti, Ephesus Asiae Proconsularis, primatum metropoliticum praeter ceteris provinciarum illarum civitatibus obtinuerint. Idem jus Ancyra apud Galatas sibi semper vindicavit; ita ut Ancyrana Ecclesia inter apostolicas eo nomine a Julio I. apud Athanasium recensetur, quod Ecclesiam Galatiae provinciae, cujus metropolim Ancyra teneret, Paulus epistolam suam direxerit. Hoc Apostolorum fuisse propositum illustrius sane ostendi non potest quam ex demandata Tito Cretae insulae sollicitudine, ut Presbyteros (seu mavis Episcopos, ut ipsemet Paulus sequenti versiculo interpretatur) oppidatim constitueret. Manus imponitur Episcopis a synodo provinciae, cui saltem tres Episcopi praesentes intersint, ceteris scripto consensum praebentibus; sed ea lege, ut Metropolitanorum *τὸ κῆπος*, decretum, & totius negotij auctoritas servetur, juxta canones Nicenos. Hanc formam non aliunde profectam censere par est quam ex Apostolorum institutione, quae a Paulo hic delineatur. Ordinatio equidem fit a collegio & cœtu Episcoporum, *per impositionem manuum Presbyterorum*; sed ea conditione, ut unus aliquis potiori jure decretum interponat ad vicem Titii, qui disponendam & ordinandam provinciam a Paulo suscepit. Vnde fluxit ut Creta provinciae ecclesiasticae, & Gortyna civitas metropolitica privilegium illius insulae eximium semper habuerit.

III. Asia Proconsularis, Attali Regis legato ad Romanos delata, Ephesum urbem tanquam provinciae metropolim colebat, ut testatur Antonini Imp. rescriptum: qui ad desideria Asianorum rescripsit, Proconsulem ad eam urbem ea de causa appellere debere, cum ingrederetur provinciam. Asia vero ita constituta fuit, ut septem Episcopis, quos Ioannes recenset, commissa fuerit; eo tamen ordine, ut ab Ephesi dignitate nihil decederet, atque ideo in ea

civitate Paulus lares quodammodo fixit, cum Asiam ad fidem erudiret, ut conqueritur Demetrius in Actis, & Ioannes Ephesum Cathedra sua cohonestavit. Cui non erit ignota Achaia in provinciae formulam a Romanis redacta, (cujus metropolis erat Corinthus, ut docet Annaeus Florus) is consilium Pauli perspectum habebit, cur literas suas non solum ad Corinthios, verum etiam ad omnes *qui sunt in Achaia fratres*, perscribat. Nempe Achaia & Corinthus nexu metropoleos & provinciae adinvicem continebantur, ut & Thessalonica, & Macedonia. quae ratio eundem Paulum impulit ut suis literis & Thessalonicenses, & ceteros *qui erant in Macedonia fratres* admoneret.

IV. Sanè apud veteres summa ratio habita fuit earum Ecclesiarum quae ab ipsis Apostolis institutae sincerius fidei traditiones conservasse censentur. Verum non immoror huic privilegio. In id enim duntaxat impraesentiarum elaboro, ut pateat veterum testimonio, Ecclesiarum per provincias divisionem ab Apostolis fluxisse. Huic sententiae innititur Tertullianus, cum haereticorum praescriptionibus elisis, eos ad apostolicarum Ecclesiarum traditiones provocat. *Proximè est tibi Achaia, habes Corinthum. Si non longè a Macedonia, habes Philippas, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italia adiacet, habes Romam.*

V. Verum etsi forma dividendarum provinciarum & metropoleon ab Apostolis manaverit; hac tamen divisio ab Episcopis qui erant in majoribus urbibus constituti per incrementa variorum temporum aucta, tandem ultimam dispositionem consecuta est. Vnde profectum ut celebriorum civitatum Episcopi jus quoddam eximium in ceteras Ecclesias adepti fuerint: quod ei privilegio respondet, quo ratione originis potiuntur erga colonias a se deductas eae urbes quae inde *Matres* appellantur a veteribus. Ius autem illud officiis quibusdam continebatur; quae validiora erant vel remissiora inter Ecclesias, prout usu & consuetudine invaluerant. Iuris istius quasi possessione in plerasque provincias conspicuae erant tres ille Imperij Romani Civitates, Roma orbis Domina, Alexandria Aegyptiaci regni Princeps, & Antiochia regina Orientis: quarum civitatum Episcopi eximiis privilegiis gaudebant; quae consuetudine & moribus firmata primum, postea Nicenae Synodi decreto sancita sunt. Sanè dissimulandum non est, eo canone tres illos antistes Episcoporum tantum vel ad summum Me-

B

Act. c. 19. & 20. Codex marianij Timothei apud Photium innotuit 2. l. 4. Iraneus. l. c. 17.

Florus lib. 2. c. 6.

1. Cor. c. 1. Ecclesia Dei quae est Corinthi cum consiliis sanctis qui fuerint universa Achaia. 1. Thessal. c. 4.

Vide infra lib. 6. c. 1. lib. 7. c. 4. §. 7. c. 16. §. 7. & Baluzij Notae ad Agobardum pag. 112.

Tertull. de Praescript. c. 36.

Dio. Chyff. Orat. 12. Herodianus. Iosephus de Bello Iud. 1. 3. c. 3.

1. Pet. 1.

Paulus ep. ad Galat. c. 1. & 1. Cor. c. 16. meminit collectarum quae fiunt in ecclesiis Galatiae.

Ep. ad Tit. c. 1. Titulus re. Cretae, metropolitana per excentu Presbyteros, sine quibus non diffusi nit.

Kard. n. 118.

l. 4. ff. de offic. Proconsul.

Apostolus Tit.